QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. MARTII. M. GASPARE BRAIER MEDICO REGIO MODERATORE PRVDENTISSIMO.


641.

Febreſne Lipyriæ Cholera ſuperueniente exoluantur?


X morbis quibus humanum genus conflictatur nullus frequentiùs infeſtat quàm febris, quæ calor eſt igneus à corde per arterias in corpus vniuerſum diffuſus, eius variæ ſunt vt caloris & ſubiecti differentiæ: ſimplex, eſt calor naturalis in igneum conuerſus ab eoque intenſione ſolâ diſtinctus. A cauſis euidentibus excitatur, feruidiore ſcilicet aëris conſtitutione, eſculentis aut poculentis calidioribus, ediâ, vigiliis, calidi effluxus inhibitione, exercitatione immoderata, moerore, animi excandeſcentia, quinetiam ſubitus metus vt epilepſiæ ſic febris cauſa eſſe poteſt. Peſtilens eſt cuius calor ex malignâ putredine emerſit, quæ non ab infauſta ſiderum coniunctione vel aſpectu, ſed aut ab aëris aut cibi potuſque corruptione ſuſcitatur: hâc lue infecti acceſſionis initio magna propenſione feruntur in ſomnum tunc peſſimum, hîc etiam frequenter in emunctoriis partium principum fiunt bubones quos febrem inuadentē præcedere vel comitari quàm ſubſequi meliùs eſt. Putridæ febris calor fit ex putri materia, quæ in maioribus venis concluſa continuā, in præcordiis aut iuxta hæc collecta intermittentem parit: hæc incipit à frigore, horrore vel rigore, quorum omnium vt & periodorū eadem eſt manifeſta cauſa, nempe humoris quantitas, qualitas & motionis impetus: illa plerumq; nullo ex his prægræſſo hominem adoritur.


NTERMITTENS febris à circuitu, quotidiana, tertiana, quartana, quintana, ſeptimana, nonana: ab humore, pituitoſa, bilioſa, melancholica nuncupatur. Quotidiana exquiſita diuturna exiſtit, ſpuria breuior, ambæ ſunt periculoſæ, epiala periculoſior, illis interdum venæ ſectio prodeſt huic ſemper nocet, iuuant cathartica ſimilitudine ſubſtantiæ pituitam educentia. Quartana omnium febrium ſecuriſſima, facillima, longiſſima & curatu difficillima exiſtit, hinc natum quod vulgò fertur adagium cæcos ad arthritidem & quartanam eſſe medicos, cuius leuitas inde pâtet quòd horum affectuum nota ſit eſſentia, notæ cauſæ, nota remedia. In hoc affectu phlebotomia dum ex vſu eſt ante purgationem celebranda venit, itaque pridie acceſſionis è baſilicâ ſanguis detrahatur nō ex ſaluatella, quam in melancholicis affectibus ſecare ſuperſtitioſum eſt: theriaca vetus horis duabus ante paroxyſmum vtiliter poteſt exhiberi, ſed non ante manifeſtæ coctionis indicia.


ERTIANA intermittens pura vacat periculo, ſeptēque ad ſummum periodis iudicatur, neglecta tamē grauis & inſanabilis euadit, ex ſimplici fit duplex, atque ex intermittente continua, ſanguis poſt primam acceſſionem educendus, cholagoga dein exhibenda, naturæque proba victus ratione proſpiciendum. ἡμιτριταῖος grauis & pernicioſa febris longos & difficiles habet paroxyſmos, cataphoram vigiliaſque infert, & lipothymiam excitat, interdum in tertianam ſimplicem vel duplicem commutatur, aut etiam in quotidianam, quæ mutatio ſpem ſalutis pollicetur: Lutetiæ raró, Romæ frequentiùs accidit. Continua febris eſt quæ motu continuo ægrum exercet: Synochus periodicè non remittit, ſed vna quaſi acceſſio eſt, quæ pro triplici modo quo ſanguis in vaſis maioribus inflammationem vel putredinem concipit, ἐπακμαστική, ὁμότονος, ἢ παρακμαστική nuncupatur, cauſas habet eaſdem cum diaria ſed vehementiores, eius curatio gelidæ potu, & phlebotomiâ Galeni conſilio ad lipothymiam vſq; celebranda perficitur, epaphæreſis tamen tutior exiſtit, non eſt negligendum aquæ dulcis balneum. Putrida peior imputri præter venæ ſectionem & gelidæ potum, exacto die ſeptimo purgationem ex cholagogis blandioribus admittit, niſi priùs ſudore vel hæmorrhagia perfectè ſit iudicata.


K αῦσος intermittenti tertianæ analogus tertio quoque die nouam reduplicationem habet, febris eſt ardentiſſima cum calore vehementiſſimo & ſiti inexplebili coniuncta: fit autem vel ex ſola bile flaua putreſcente, & ſyncerus eſt: vel ex ſalſa pituitâ ſola, aut bili permixta, & nothus ſeu hybernus appellatur. Syncerus duplex, alius eſſentialis ac vehemens qui pendet ab ardore bilis citra vllum viſceris affectum putreſcentis, alter ſymptomaticus ac vehementiſſimus qui frequentiùs iecoris aut ventriculi eryſipelas cōſequitur: ille febris ardens ſimpliciter, hic lipyria dici conſueuit: illius ſigna pathognomonica ſunt calor deurens & ſitis inexhauſta: huius, internarum partium ſummus ardor, extremorum ingens frigus, ſudor frigidus, vomitus bilioſus, aluus ſuppreſſa, hypochondriorum tenſio: vterque periculi plenus eſt ac lethalis, ſoluiturque violento naturæ impetu materiam morbificam foras expellentis, omnis enim morbus ablatâ cauſâ coniuncta tollitur: ille autem naturæ motus pro ratione humoris aut partis affectæ alius atque alius eſt, materia tenuis fere ſudoribus, craſſa deiectionibus vacuatur: venæ maiores & partes iecoris conuexæ, ſudore, hæmorrhagiâ, & perirrhoeâ, pars concaua atque ventriculus eryſipelate obſeſſus, cholerâ, id eſt bilis eruptione ſurſum deorſumque facta ſeſe exonerant.


ED an ſemper expectandus naturæ motus, totumque negotium illi committendum? minimè, quia plerumque grauiſſima premunt ex plenitudine aut æſtu intolerabili ſymptomata, quæ plane deijciunt vires, ægrumque in incremento vel ſtatu perimunt. Quid igitur agendum? enemata refrigerantia & humectantia crebrò inijcienda, ſanguis pro viribus ægri detrahendus, diæta tenuis inſtituenda quę refrigeret & humectet, ptiſanâ ſitis lenienda, catharſis blanda & cholagoga exhibenda, cardiaca non omittenda quæ aciditate putredinem arceant, amouenda quæ occulta proprietate vim cordis roborare falsò à multis creduntur, denique febrile incendium refrigerantibus & humectantibus ſumptis & admotis extinguendum. Purgatio quantumuis blanda lipyriæ nocet, vicem eius gerent clyſteres cholagogi pro re nata iterandi, calor vrens interiora extremorum frictionibus, phlebotomiâ & cucurbitulis reuellendus, emetica ſi nauſeet æger propinanda. Quòd ſi lipyria his non cedat remediis nulla ſpes vitæ ſupereſt niſi natura liberali bilis ἄνω καὶ κάτω vacuatione ignis cauſam foras expellat, partemque obſeſſam vitæ neceſſariam ab inflammatione vindicet.

Ergo febres lipyriæ cholerâ ſuperueniente exoluuntur. 

Propugnabat Lutetiæ IOANNES FAYOLLE Marlenſis Sch. Arch. Anno R. S. M. DC. XXIII.